20

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE

METHODICA CURATIONE,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, Reliqua
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL, D.
MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.
h. t. FACULTAT. DECANO,
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE
omni obſervantiæ cultu proſequendo,
PRO GRADU DOCTORALI,
Summisque in ARTE Salutari Honoribus & Privilegiis
legitimè obtinendis
D. Jun. Anno M D C C IX.
IN AUDITORIO MAJORI
publice ventilabit
JOHANNES CASPARUS Bucholtz/
Haſeluna Monaſterienſis.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

REVERENDISSIMO atque ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
FRANCISCO
ARNOLDO,

PRINCIPI ET EPISCOPO MONA-
STERIENSI AC PADERBORNENSI
BURGGRAVIO STROMBERGENSI
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI
COMITI PYRMONTANO ET DN. IN BORCKELOHE
&c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

DISPUTATIONFM HANC INAUGURALEM

HUMILLIME ET SUBMISSE

D. D. D.

JOHANNES CASPARUS Bucholtz.

PROOEMIUM.

QUam miſera ſit conditio mortalium, maxime ex ipſo valdè corruptæ rationis fonte, & pluribus, & familiarioribus, quam quidem laudari poſſit, exemplis innoteſcit, maximè tamen ex eo, quod neque ſatis, neque recte, penſitata atque judicata, paſſim pro veris decernendo, multas inde heteroclitas ſpes, & tandem infelices eventus, incurrit & experiatur. Non mittemus, quod ajunt, falcem in alienam meſſem, poſtquam in ipſa medicina habemus hujus rei documenta, plura quam expedit; ubi nempe, ex præjudicio non bene fundatarum opinionum, non ſolùm in Theoria, ingens tela texitûr variarum ſpecioſarum, ſed inanium, opinionum; Verum etiam circà ipſam Praxin, ſubinde nexus debiti, & ordinata propoſiti efformatio atque proſecutio, ingentia deliquia experiri ſentiuntur. Non autem nexus vocabulum intellectum volumus, de ordine praxeos ad theoriam; utpote qualem ipſi oculatiores theoriæ recentio-

ris ſequaces, non magnopere urgent; ſed manebimus potius in ipſo practicarum intentionum atque inventionum nexu, aut, ad ſummum, ordine harum, & reſpectu, ad veram indolem atque ſeriem effectuum, quibus practico artificio auxilium apparatur. Sanè vero, ſi de rebus practicis ſimpliciter practicè, non tam disquirimus, quàm etiam ſolum diſpicimus, perturbat neceſſariò animum, certæ veritatis curioſum, ingens illud, & tamen quotidianum, offendiculum, quod in variis morbis, non ſolum notabilis paſſim occurrat diverſitas ſententiarum, circà theoriam eorum; ſed etiam circà traditiones tractationis eorundem practicæ: tam reſpectu methodi curandi, quam remediorum adhibendorum; dum interim, ſi animus ſine præoccupatione advertatur, etiam ita diſſentientes, propemodum pari fortuna utantur, nempe ut vel morbum planè non vincant: vel neque promptiùs, neque certius, imò nequidem mitiùs, debellent, unâ tali quàm alterâ, licet diſcrepante, methodo, vel plane utraque: imò qualibet tali, nihilo meliùs morbo conſulant, aut patientem illo defungi perficiant, quam hinc inde, etiam ſine his, imò ſine omnibus, artificiis, eundem morbum, expugnari, obſervatur. Ne tamen etiam in hac re prolixius notanda, nimium diffundamur, ſumemus nobis ſolum tanquam generale fundamentum, ad hoc negotium pertinens, & quidem non tam inculpandum aut notandum, ſed potius poſitivè, & ut recte obſervari atque adminiſtrari debet, indicandum & ſolùm contra diſtinguendum alteri, in ſe disparatæ, aut ad ſummum ſubordinatæ, agendi rationi. Exponemus nempe, SPECIMINIS INAUGURALIS loco, *METHODICAM CURATIONEM*, non quatenus

tenus quibuslibet temerariis, & nullo fundamento nixis, tentaminibus opponitur; ſed quatenus etiam bonæ, atque efficaci, Veraci, inquam, Empiriæ, ſeu, propioribus practicis nominatæ, *Appropriatæ*, ſeu per *Appropriata*, Curationi, verè contradiſtinguitur.

Faxit autem Divina Clementia, ut propoſitum hoc noſtrum, ſicuti ingens fundamentum veræ praxeos complectitur, ita etiam à nobis rectè intelligatur, & perſpicuè, publico uſui atque commodo, declaretur.

I.

NOn ignotum, quod *Methodi*, & *Methodici*, appellatione, in ſchola medica non una ſola res denotetur, ſed utique diverſæ occurrant acceptiones, quarum præcipuæ ſunt 1) quod *Methodicus* uſurpetur, pro certæ cujusdam *ſectæ Medicæ* aſſecla, de qua non ſolum jam apud ipſum *Galenum*, ſed propemodum præcipua, occurrunt monumenta, de quibus tamen cum noſtrum inſtitutum non agat, verba plura facere ſuperſedemus. 2.) Contra diſtinguitur *Methodica* Curatio, *Empiricæ*, quocunque etiam ſenſu capiendæ. 3.) Uſurpatur *Methodi* vocabulum, etiam de qualibet *juſta*, & *peculiariter* conveniente, medicamentorum adminiſtratione: quo ipſo ſenſu reverà etiam locum invenit certum & eximium, in aliquibus etiam *nudis*, ſed *veris* atque *certis*, *Empiriis*, utpote quæ ſine planè peculiari etiam adminiſtrandi ratione, in uſum ductæ, nequaquam effectum, quem alia ratione omninò edunt, aſſequuntur.

II.

Noſtræ tractationi ſeligimus *mediam*, nempè *ſecundam* è modo dictis, acceptionem: quam tamen ut etiam ipſam rectè conſtituamus, non tam ſimpliciter de *Methodo*, quate-

nus cuicunque, etiam *imaginariæ* & *incertæ*, *Empiriæ*, contradiſtinguitur; ſed quatenus etiam *veræ* experimentali medicationi opponitur, imò, quatenus etiam *hæc illi*, *Methodo* inquam noſtræ conſiderationis, reverà adhuc paſſim *ſubordinatur*.

III.

Quæ res, ut planiſſimè intelligatur, monemus, quod ad morbos verè etiam curandos, *duplex* ſit via: quarum altera his, altera illis, debetur: imò in aliquibus etiam utræque, ſub certa tamen ſerie & ſubordinatione, conſpirare debent. Ita enim reverà, & multi paſſim, & ſontici etiam, ſunt morbi, quorum curatio ita *Methodum* poſtulat, ut ſolidæ *Empiriæ*, ibi planè nullus ſit locus. Quod autem aliud hujus rei ſpecimen allegemus, quam plerasque omnes *Febres*: ad quas, quàm irrita ad hunc diem ſint quælibet *ſtrictè* dicta *experimenta* ſeu *ſpecifica*, niſi prorſus ἄπρακτον, non poteſt latere; Ex adverſo verò, dantur utique aliqua talia *experimenta*, ubi ſine *Methodo*, hoc ſenſu ſumptâ, non ſolum morbi aliqui auferuntur, ſed etiam tales, qui nulla *Methodo*, aut certe minimè, *certò*, *conſtanter*, & pari efficacia, ut illis *experimentis*, expugnari poſſint. Imò verò, dantur utique etiam tales, qui *Methodicam prævi- am* tractationem omnimodò poſtulent; interim nec illa penitus *abſolvi* poſſint, ſine *experimenti*, ultimo, atque tempeſtivo, interventu.

IV.

Ex his itaque differentiis, tam ipſam *primam* quam *poſtremam*, tractatione noſtra commendare, fert animus. Reſpicit autem *Methodica* tractatio, inprimis *ordinatos* ſucceſſus, *præparationis*, & *expulſionis* morboſarum materiarum, ad *emotiones artificioſam gubernationem*: & ipſarum *exonerationum*, ſolertem *obſervationem*, *permiſſionem*, imò, ſi laborent, *promotionem*, ſi tergiverſentur etiam *provocationem*: quin tandem, ubi hæc *arti* patet via, totius *emotionis* ſimplicem *præoccupationem*, & ſimpliciter *artificialem* adminiſtrationem.

V.

V.

In hoc verò utitur *Methodus*, omninò proceſſu, ſanæ *rationi* velut conformi; tali, inquam, qui expugnationi, dico *eliminationi* materialium morbi cauſarum, ſatis evidenter quadrat. Dum, ex adverſo, *Empiria*, quanto magis *certa*, tantò certius, vix ullam *rationi* luculentam *agendi* ſeriem, aut materiarum *convenientiam*, præ ſeſe fert. Imò etiam illius, quam ſupra indicavimus, peculiaris *Methodiæ* uſus ſui, (*Empiricæ energiæ*) nullam vere conſpicuam *rationem* ſubminiſtrat, (cujus rei ſpecimen, alibi à D. D. Præſide allegatum, ſpecificum antiEpilepticum; quod, niſi ſub plane & ſtrictè *exquiſito* utendi tempore, ſimpliciter nullam ſenſibilem efficaciam, ad univerſum morbum oſtendit: dum, e contrà, ſub illa peculiari circumſtantiâ uſurpatum, univerſum morbum ſubigit imò auffert: Citra tamen, ut vel operationis ejus in genere, vel utilitatis, imò potius neceſſitatis, hujus circumſtantiæ in adhibendo, in ſpecie, aut, tanquam planè nullius efficaciæ, extrà hanc circumſtantiam uſurpati, ulla auditu digna *ratio* allegari poſſit.)

VI.

Sicut autem hactenus dictorum veritatem, ipſa utique experientia confirmat; ita hæc quidem eadem, ſed certe admodum circumſpecta atque ſolers, certam adhuc conditionem *methodicæ* curationis nobis offert: quæ dignitatem veri intellectûs atque uſus ejusdem, tantò magis illuſtrare, & omninò commendare, nobis debet. Verſatur autem in eo, quod oppidò paucis morbis, vera atque ſincera *Empirica*, quæ alio nomine uſitato, *Specifica* appellantur, remedia ſuppetant, ſeu à ſummo naturæ opifice atque Domino, ſuppeditata atque ordinata, videantur; quin potius maximo numero affectuum, longè certiús, & quaſi ſolennius, *Methodus* deberi ſentiatur: quâ, etiam citrà *ſpecificorum* concurſum, curatio abſolvi debeat. Aut, ſi vel maxime per *ſpecifica* qualiacunque, ſeu *Appropriata* vulgo dicta, adhuc tanquam *Colophonem* adjicere

liceat

liceat, tamen nullus talium ſit uſus, & condignus effectus, niſi *Methodica* tractatio dexterrima, omninò *præmiſſa* ſit.

VII.

Quo nimirum loco, non poſſumus, quin, non ſolùm iterum nominemus, ſed etiam aliquantò ſtrictius delineemus, partim *diverſitatem*, veram & realem, *appropriatorum*, partim *utilitatem*, imò potius *neceſſitatem*, *ſubordinationis*; quæ ſervari debet cum talibus, in ordine ad *Methodicam* tractationem *præmittendam*. Dicimus itaque, quod *appropriata* remedia, *duplici* ſenſu dicantur; uno *ſtrictiore*, quo etiam *Specificorum* nomen ipſis imponitur: altero *laxiore*, quo multum equidem certis morbis conducere ſentiuntur; interim *totum* Curationis *ambitum* complecti & complere, non ab ipſis expectari debet. *Prioris* ſenſus remedia, ſunt revera oppidò *rara*, minime tamen planè nulla: poſteriore vero ſenſu, dantur omninò ſatis multa, *inter* illa, quæ *Cephalicorum*, *pectoralium*, & *bechicorum*, *ſtomachalium*, *Carminativorum*, *hyſtericorum*, *nephriticorum*, *anticolicorum*, *&c.* nominibus, vulgò inſigniuntur. Dicimus autem meritò, dari talia, de quibus ſermonem habemus, *inter* ita dicta alia plura: dum nempè, vel pro tota *veritate*, vel ad minimum gradu, adeoque eximia *utilitate*, multa in ſingulis hujusmodi claſſibus enarrari ſolent, quæ meliori ſpei non reſpondent: ſed vel nulla fide memorantur, vel infauſta illa *analogia*, ex inanibus *opinionibus* theoreticis, in hujusmodi claſſes conjiciuntur, quia ex iisdem, *inanibus* autem, *fundamentis*, quibus aliqua etiam veriora, effectus ſuos bonos perpetrare finguntur, hæc quoque neceſſario, pari uſui futura putantur. Cui nempe rei jam dudum portam aperuit intempeſtiva illa theoretica ſapientia, quæ *gradibus* primarum *qualitatum*, certè rudi fundamento, innixa, & ita etiam recentiori impotentiæ, ſub nudis vocabulis aliter ſonantibus eadem ipſa, ſi res ſpectetur, cantillanti, temere irruendi, & omnia confundendi, viam quaſi ſtravit.

VII. Me-

VIII.

Meritò autem iterum aſſeveramus, quod etiam jam ſupra fecimus, quod *ſtrictioris* ſenſus *Appropriatis*, ſeu *ſpecificis*, Methodus *ſtrictioris* ſenſus, de qua nobis eſt ſermo, non æquè ſit neceſſaria. Omninò verò illis, quæ ſecundo loco memoravimus. Quæ certè res, ut ab antiquis, peritis æque atque doctis, practicis, perpetuo inculcatur, *Canone* illo: *Univerſalia eſſe præmittenda ſpecialioribus* ſeu *appropriatis*: ita non invenit tamen debitum proprium locum, etiam apud jam paulò remotiores ipſos, tantò minùs autem apud propiores & recentiores: minimo ferè apud hos præcipue poſteriores, propemodum pretio habita in vulgari praxi. Hæc agendi ratio conciliavit nobis, modernæ inquam ſcholæ practicæ vulgari, ingens illud *ſcandalum duplex*; unum *theoreticum*, quod de exiſtentia & veritate veriorum *Appropriatorum*, aliquid credere, nedum dicere, propemodum inſipientia habeatur: alterum *practicum*, quod qualibuscunque, etiam, vel ex ſola hypotheſi creditis, quoquo modo *Appropriatis*, directè & ſimpliciter *inchoare* & *abſolvere* totum negotium, integrum putetur: neglecta *Methodo* reliqua, cui illa jungenda & *ſubordinanda* fuerant, ſi laudatum illum uſum ſalutarem præbere deberent.

IX.

Placet autem, priusquam ad noſtræ tractationis *methodum* explanandam pergamus, omni modo offendiculum illud notare, de quo, præcedente paragrapho, diximus, quod etiam aliquantò remotioribus occurrerit. Fuit autem hoc, quod illi, quos peritos, atque doctos practicos laudavimus, locutione illa, *univerſalia eſſe præmittenda*, nomine inquam univerſalium, alieniori conceptui occaſionem præbuerint. Licet enim *Appropriata* dicta remedia, omninò magis *particulariter* ſeu *peculiariter*, quadrare & conducere intelligi poſſint morbis, quibus conveniunt, adeoque horum intuitu alia, quæ aliquantò *remotius*, ſed tamen etiam verè morbo

conferunt, non injuria *univerſaliorum* nomen aſſumant: Eſt tamen omninò hic obſervanda mutua *proportio* ſcopi totius, adeoque *ordinis*, inter alia *peculiaria*, & talia *univerſalia*, quæ non ſimpliciter *abſoluto* ſenſu, ſed unicè hujusmodi particularium *reſpectuum*, intuitu, & in vera, ut ſcholæ loquuntur, *relatione* mutua, hos gradus exprimunt, & inſiſtunt.

X.

Ubi nempe ineptum certè eſt, interim profectò ſi animus recte advertatur, hinc inde receptum, jam aliquanto remotioribus temporibus, ut *Univerſalium* nomine, tanquam abſolutè talia, intelligantur. Nempe quæ etiam quarumlibet conſtitutionum *ſpecialium*, ſeu *ſpecierum* morborum, reſpectu, puræ *univerſalitatis* rationem habere poſſint; non vero, quæ ſolùm reliquæ ſpecialioris indolis morbi, & conſequenter etiam tandem *ſpecialius determinandæ* tractationis intuitu, *univerſaliorem* indolem præ ſe ferre intelligi debeant. Unde propemodum quibuslibet morbis indifferenter deſtinari cœpit methodus illa *univerſalis*, quam etiam famoſus Hiſtrio non inficetè in ſcena traduxit, tanquam trivialium Artificum Medicorum univerſalem ſapientiam, *purgare*, *ſaignare*, *Clyſterium donare* &c. quàm nempe rem *indifferenter omnibus* morbis dicandam, imò, uti hic ludit, omnes morbos his *abſolvere & percurare* velle, pro certo habere, videri poſſint: Cum potius illi, qui è veriore fundamento has res laudaverunt, *certis* morbis, etiam ſolum *certa* talia deſtinent, quæ quidem, reſpectu *ſpecialiùs* finiendæ curationis, revera *univerſaliorem* rationem habeant: nequaquam autem *ſimpliciter*, hic ut in *omnibus* aliis affectibus, aut in omnibus aliis *indifferenter*, uti hic, eandem *univerſalitatis* ſuæ rationem habere poſſint.

XI.

Ex adverſo verò, in luce certè meridiana poſitum eſt, quod recentiorum multi, in primis in ipſo praxeos exercitio,

tio, ita mordicus inhæreant *ſpecialioribus*, ut propemodum parvam rationem habeant ullo ſenſu obſervandi Canonis illius, de *univerſalium præmisſione.* Quantumvis enim pleraque etiam apud hos celebratorum remediorum, ſi modo effectum effatu dignum exhibent, ſatis *generali* agendi modo hoc præſtent: ubi tamen raro ad ipſum verum *fundamentum* pertingunt, ſed potius nudis *temporariis*, aut prorſus *palliativis*, Curationibus acquieſcunt. Ita non aſſequuntur hoc ipſo veram intentionem illarum *univerſalium* deſtinationum, quas illi inter Veteres, qui rem totam ſolidiùs cordi habuerunt: Nempè, quod jam etiam monuimus, non abſoluto ſenſu, reſpectu *omnium* morborum, ſed limitato, ſecundum *ſingulos*, intelligenda *univerſalia*, ſpecialioribus *præmittenda*, commendantes.

§. XII.

Enimverò, ut rem ipſam ſimpliciter eloquamur, voluerunt Veteres per illam locutionem, *univerſalia eſſe præmittenda*, *duplicem* intentionem commendare: primò, remotionem verè *communiſſimorum* ſanitatis offendiculorum, imò potius, curationis atque liberationis, impedimentorum. 2dò verò, & ſtrictiore jam illo ſenſu, de quo nobis propriè hic eſt ſermo, denotarunt per *univerſalia* illa, quæ remotas quidem ſed tamen ut ſingulas, *unius cujusque*, non indifferenter *omnium*, morbi *cauſas* reſpiciant, quas uſitato nomine *antecedentium* ſalutare conſveverunt. *Priore* itaque ſenſu, jubent ſubinde per *primum initium* Curationis capeſſendæ, *Communes* ſordes educere: Imò etiam, ſimplici & directo ſenſu, *plethoram* minuere: neque minus *diætam* in exquiſitiorem ordinem redigere, & ab exceſſibus cavere. *Poſteriore* verò ſenſu injungunt *electivas* purgationes; nempè ex ſua hypotheſi, humoris *in illo morbo* peccantis, morbi *fomitem* conſtituentis, imò morbum quaſi *nutrientis*, & *materiam* ipſi ſuppeditantis: Jam *alterationem*, jam *præparationem*, jam *evacuationem* hujus, inquam. In eo uno, ſed pro-

ſecto non levi, objecto, vel infeliciores, vel aliorum felicitati nequaquam dilucidè conſulentes, quod propemodum undique, plus ſoli *quantitati* & *qualitati* internæ, ſeu *Craſi*, humorum, quatenus morbos progignant, inhærent: ingentem autem efficaciam MOTUS, *ultrà* imò *extrà*, *proportionem materiarum*, *aberrantis*, *impediti*, inquam, aut in *errores acti*, tam ſummam *energiam* morbiferam, quam actualem etiam hujus efficaciæ *eventum*, nec ſatis pro dignitate, nec proinde ſatis etiam pro perſpicuitate, declarantes.

XIII.

Ut itaque tandem rem ipſam aggrediamur, aſſeveramus, quod vera *Methodica* Cura, maxime conſiſtat, primo loco in *occupatione* atque *ablatione* illarum *Cauſarum*, quæ quidem *præſenti* alicui affectui morbido, non *proximam* quaſi materiam præbent; ſed in ordine, ut loquuntur, influendi, *remotiorem* locum occupant. Interim tamen talem atque tantum *nexum*, ad ipſam rei eſſentiam ſervant, ut omninò *fundamentales* appellari mereantur: imo verò *proximæ* cauſæ rationem etiam reverà ſubire poſſint. Unde videlicet etiam deſcriptio cauſæ *antecedentis* hoc ipſum loquitur, quod ſit *diſpoſitio* certa, quæ in habitum ſeu *effectum* deduci habilis exiſtat: & de cauſa *procatarctica* dicunt, quod moveat *antecedentem*, ut fiat proxima. Eſt itaque veræ *Methodicæ* Curationis verum objectum, conveniens tractatio, *remotio*, *ſublatio*, cauſæ, ſtricto ſenſu vocabuli, *antecedentis* ante omnia: & tunc etiam *expugnatio*, pariter arctiore ſenſu intelligendæ *proximæ*: imò etiam tandem qualiscunque *effectus*, a tali jam inducti.

XIV.

Ut adeò ab *univerſalioribus* faciendum eſſe initium, in ordine ad directam curationem morbi, nihil aliud denotet, quam *antecedentium* cauſarum eam habendam eſſe rationem, ut nihil ad veram ſummam negotii, & *percurationem* mali, ſperare ſit integrum, niſi vera *antecedente* cauſa, *correcta*, *præparata*, aut *ſublata*.

XV.

XV.

Quemadmodum autem utiquè, noſtram facimus hanc aſſertionem, & hunc conſtituimus ſenſum præcepti illius, ſæpius laudati chori priſcorum, de *univerſalibus præmittendis*; quod, inquam, intelligi hæc verba debeant, *antecedentes* morborum cauſas ſtudioſè eſſe *occupandas* atque *ſubigendas*, ſi *ſpecialis* curationis *abſolutioni*, feliciter ſatisfacere ſperemus: Ita oſtendit ſe utique non dicam offendiculum, certe tamen onus, nobis incumbens, declarandi atque definiendi, quænam haberi poſſint hujusmodi cauſæ *antecedentes* morborum, quibus reverà & deceat, & liceat etiam atque detur, conſulere, atque tali efficacia mederi, ut eo ipſo ad *ſpecialiorem* Curationis proſecutionem & executionem, verus *ordinatus* progreſſus, & legitimus *proceſſus*, ſic obtingat.

XVI.

Imo verò, non hoc ſolum nobis incumbere ſentimus, ſed amplius etiam illud enodare, quo intuitu ejusmodi cauſæ *antecedentes* morborum, meruerint appellationem *univerſalium*? qualia nempe omninò cenſeri debent ſubjecta, quibus *univerſaliora remedia*, deſtinari poſſint, imo debeant. Ubi, licet eum laborem non in nos recipiamus, ut anxiè perveſtigemus, à quam longo jam tempore hæc appellatio *univerſalium præmittendorum*, practicis placuerit; nec etiam operæ pretium ducamus in eo prolixius hærere, quod certè, vel paulo remotioris temporis Medici, minimè pauci, minime omnium autem poſtremi, philoſophiæ rationalis tam rudes non fuerint, ut diverſitatem notionum, *generalis*, & *univerſalis*, ignorare poſſent, aut negligere & aſpernari vellent, qui potius eſt multorum νεοφύτων faſtus: ſuffecerit tamen nobis illud, quod veritatem & æquitatem rei ipſius concernit, declarare, quisquis tandem, aut quacunque intentione, illam loquendi formulam in uſum deduxerit.

XVII.

Aſſeveramus iterum, quod illæ cauſæ *antecedentes*, quibus, velut antè omnia, *univerſalia* deſtinata, fidem faciunt, quòd etiam iſtæ *univerſaliorem* aliquam rationem habere intelligi debeant, habeant hanc omnino *duplici* intuitu; nempe tum in ordine *influendi*, tum in poteſtate *concurrendi*. De ordine *influendi* diximus jam in præcedentibus, quod *generaliorem* & *remotiorem* agendi rationem atque gradum ſervent. *Ordinem* concurrendi autem intelligimus maximè, de *communi* habitu, non ad unum ſolum aut alterum, ſed etiam plures, affectus; niſi quidem, quod etiam ipſa veritas illuſtrat, malimus dicere, plura *ſchemata* affectuum. Adeò, ut reverà etiam illæ, quibus *univerſaliora* remedia opponenda veniant, *univerſaliores* nominari mereantur *cauſæ*, hoc ipſo intuitu, quod etiam pluribus morbis ſint familiares, adeoque pluribus *communes*.

XVIII.

Ubi autem nemo tàm imprudens erit, ut nobis contradictionis propriæ levitatem imputet, quod hic ejusmodi *cauſis* morborum, quibus *univerſaliora*, in *methodica* Curatione deſtinantur, *communem* aliquam efficaciam, ad *plures* etiam morbos, tribuamus. Cum in antecedentibus negaverimus, intelligi tales quæ *univerſalem* rationem verè habeant. Sicut enim mihi, Præſidi, nunquam quidquam minus uſitatum aut probatum fuit, quam meis aſſertis propriis, ita leviter uti, ut quæ uno loco affirmem, alio negem: ita certè hic etiam, quilibet intelligere poterit, quænam ſit diverſitas, inter ſimpliciter & abſolute *univerſalem* Conſtitutionem: &, è diverſo, aliquibus, imò *pluribus*, non tamen *omnibus*, *communem*: de qualibus, *Comparativè*, vox *univerſalis*, aut *univerſalioris*, in contradiſtinctione ad *univerſaliſſimum*, nempe *abſolutè* & *exquiſitè* tale, uſurpari poſſit.

XIX.

Ita nempè occupata utique eſſe debet *methodica* Curatio,

tio, tum circa illa, quæ in unoquoque morbo *univerſaliorem*, ſeu *generaliorem* rationem habere ſolent, rectè, & in juſto *ordine*, tractanda: Tum circa agnitionem, *quod* reverà etiam talia, pluribus morbis ita competere poſſint: adeoque etiam hoc intuitu, *univerſaliora* dici mereantur: Et inde etiam illa loquendi formula hoc ſenſu locum inveniat, quæ *univerſaliora ſpecialioribus præmittenda* eſſe, monet.

XX.

Sicut autem, ex hactenus dictis, facile dilucèſcere poteſt, non ſolùm qualem, & quantum uſum, habeat ipſa *methodus, univerſalia præmittendi*; ſed etiam quo ſenſu *univerſalia* illa, dici ſolent, & intelligi poſſint: Ita eſt etiam denique propius expromendum & explanandum, quænam *nominatim* ſint illa *univerſaliora*, in quorum juſta atque tempeſtiva adminiſtratione, *methodus* recta, occupata eſſe debeat. Quam rem proinde ſub duplici maximè intuitu, planiori atque ſimpliciori conceptui offerre ſtudebimus.

XXI.

Primo loco, & velut à *priori*, ab ipſa *ratione* atq; conſideratione, rem exordientes, è vera atque plena conſideratione *circulationis ſanguinis*, agnoſcere poſſunt, quod equidem in ſtatu verè *ſanô*, ſanguis, è proportione *reciproca*, inter *appetitum* legitimum, & alacritatem ad motus corporis, non ſolùm de tempore in tempus, iterum *colliquando, minuatur*: ſed etiam, ſub reliqua adhuc ſua *Craſi*, in bona *fluxitate* ita conſervetur: imò *peraccidentales* fortè cauſas oblatas, vitium *fluxilitatis* quodcunque expertus, ipſa motuum voluntariorum *alacritate*, non ſolum ipſe ad debitam ſuam *mobilitatem* reducatur, ſed etiam, hoc ipſo, ad alieniorum *ſecretiones* & *excretiones* tempeſtivas, ita recte disponatur, atque diſpoſitus ſervetur. Si vero notabilis aliqua *proportionis* harum rerum ataxia contingit, quod quidem in primis in corruptis moribus familiariſſime evenit, dum guſtus illecebræ edacitatem provocant, otium interim ſegne

atque deſes, etiam inter honoris atque dignitatum requiſita connumeratur, fieri ita aliter non poteſt, quin neceſſariæ illi *libertati circuitus* ſanguinis, & conſequenter etiam *mobilitatis*, & inde præoccupandæ *Corruptibilatis* ejus, impedimenta atque vitia, cooriantur, ſimulque quarumlibet heterogeneitatum debitæ tempeſtivæ *ſecretiones* & *excretiones* interceptæ, corruptelam toti corpori auctiorem & præſentiorem machinentur.

XXII.

Et hoc nulla, uti certiore, ita quoque ſimpliciore, ratione, niſi quod inſignis *abundantia* ſanguinis, (tam *menſura* ſui vaſa atque meatus plus ſufferciat, quam *pondere* quoque ipſo,) neque minus *ſtipatione* illa, majoris copiæ ad arctiores pro ipſa vias, ſucceſſum progreſſus totius impeditiorem reddat. Cum autem ipſa *mobilitas*, nempe *fluxilis tenuitas*, ſanguinis, *Conſervationem* ſui longè maximam partem debeat ipſi *actuali motui*, ejusque perenni ſufficienti alacri & liberæ *Continuationi*; ſimpliciſſimæ hinc conſecutionis eſt utique, quod aliquod *detrimentum*, per augmentum inſolens tolerabilis *quantitatis*, *motui* huic objectum, quaſi manu introducat, tanquam ſimpliciſſima via, *qualitatis* etiam ſanguinis vitium, ſimpliciſſimum itidem, ſed certe graviſſimis quibusque periculis inducendis par & idoneum, nempe *ſpiſſitudinem* inſignem. Ubi nempe ulterius, e vera ſana *Theoria Phyſiologica*, conceptui ſuccurret, quod *ſpiſſitudo* ſanguinis major, non ſolum impeditiori *progreſſui* anſam præbeat, & tantò magis quidem in *ſubtiliorum meatuum* participibus organis, ſtaſium ortui occaſionem offerat; ſtaſis verò, ad minimum neceſſarias, ambiguas, etiam ipſas *operoſas*, *moleſtas*, *aſſiduas*, *inflammatorio-discuſſorias*, aut *ſuppuratorias*, *directiones* atque *moderationes* efflagitet: aut ſimpliciter, & *impetu* inſuper, in *emortualem* corruptionem, etiam *graſſantem*, & late ſeſe *diffundentem*, quin totam œconomiam ſubvertentem, ruata: Aut, *inſolitis* utique ſa-

no

no ſtatui,motuum propulſoriorum intenſionibus,quam maximè & opportunè inſtitutis, (citra nudæ *artis* ſubſidium certe ipſum quoque,in hoc caſu difficile & incertum) abſolute opus habeat,quibus, in *proximâ potentia* conſtituta,nec dum in plenum *actum* deducta, *ſtaſis*, præoccupetur: dum, quod *fluxilitati* humoris decedit, *motûs* impulſorii *tonico-ſpaſtico augmento* atque *impetu*, compenſatur.

XXII.

Ubi nempe ulteriùs,ex eadem vera & reali *Theoria Phyſiologica*, meminiſſe convenit, quod *ſanguis* verè ita dictus, nempe *rubicundus* ille,nullam ordinariam, nec etiam extraordinem,ullam *facilem* atque *proclivem*, quantitatis ſui imminutionem aſſequatur, niſi duobus illis modis, qui tamen ad *abundantiam* inclinantibus & inprimis etiam *abundantia* notabili jam *affectis*, & *cauſis hujus*, indulgere aſſvetis, ordinariè odioſi & moleſti ſunt: nempe *detractione alimentorum*; aut uſu frequentiore laborioſorum *motuum*: quæ utraque proinde referri merentur ad conditiones *habentes vim negandi*, *impracticabiles*, ut Galli loqvuntur.

XXIII.

Secundum verò, *à poſteriori*, & ex ipſa practica obſervatione deſumptum, documentum, eſt utique, *univerſalis experientia*,quod quidem maximus hominum numerus, plebs operaria & ruſtica, & nationes atque gentes totæ, quibus Corpore & animo malaciſſantes, (incultarum & ferarum nomen imponunt,) è defectu aut neglectu illecebrarum, ab *oppletione* alieniores, ſimulque corporis & animi *alacritati* ſtudentes, vel à *plethora*, vel à deterioribus ejus *conſectariis*, alieniores, *methodis* curativis non opus habeant, cum *ſani* vivant: aut certè ipſi ſibi hanc *methodum* adhibeant,ut inde morbi ſuccreſcere, & vires ſumere, non poſſint.

XXIV.

Sicut autem huc usque dicta, nulla propemodum memora-

rabili difficultate laborant; ita ſupereſt omninò unum adhuc, niſi prudentiſſimè æſtimetur, ſcandalum: nempe falſa æſtimatio, anteà paucis indicatorum *extraordinariorum*, *ſpontaneorum*, Naturæ *Conniſuum*, *conatuum*, *tentaminum*, *moliminum* MOTORIORUM; quibus fere muſſitantibus periculis, ab *abundantia* ſangvinis, aut ſane hujus quoque certiſſimo conſectario *ſpisſitudine craſeos* ejus, ingruentibus, obviam occurritur. Hæc ſpontanea naturæ medicamenta, cum iterum *duplicis* ſint generis, nempe primò & directè, ipſas *abundantiæ* moleſtæ liberiores exonerationes *ſpontaneæ*: ſecundò, reſpicientes, imò contendentes, ad eandem minus in proclivi poſitam, *apparatus*, *preſſorii*, & *ſtrictorio propulſorii*: ſuppeditat etiam certè locupletiſſima experientia, per varias ſpecies caſuum, numeroſiſſima ſanè exempla, quomodo, ſpontè ſua, methodum talem exerceat & exequatur Natura, quâ, occupatis & ſublatis *univerſalioribus*, *particularia* intercipiat & præcaveat, aut etiam illis, & libero ipſorum ſucceſſui noxio, ſenſibiliter detrahat. Cujus rei veritas, quando in ſimplici progreſſu non ſatis agnoſcitur aut intellectu comprehenditur, incurrit tanto importuniùs atque craſſius in ipſos ſenſus, plus quam expedit, in paſſim obviâ illâ obſervatione & infauſto paſſim eventu, dum *exonerationes* ejusmodi *ſpontaneæ*, *methodicè præſervatoriæ*, qua[illegible] in ſucceſſu ſuo utili, *cohibentur* atque *ſupprimuntur*, nimi[illegible]lus teſtatam faciunt *utilitatem* melioris ſui ſucceſſus, dum talem ejus *cohibitionem*, certiſſimæ, paſſim etiam citiſſimæ, *graviores* priſtinis, imo *graviſſime pejores*, conſecutiones excipiunt, iisque veſtigia legunt.

XXV.

Certiſſimum autem, & certè pro improvidis & imperitis etiam graviſſimum, offendiculum, eſt omninò *apparatuum nudorum*, effectus ſui luculentos non aſſequentium, cœtus. Cum enim hujusmodi *apparatus*, *conatus*, inquam, & *conniſus*, ad ſpontaneam bene *Methodicam* exonerationem, certisſimas *ſpecie*, & *numero* plures, *inſolentiores*, & *pertinaciores*

mo-

moleſtias faceſſant; obſiſtit certe hæc conditio, quò minùs animum ſubigere poſſint ſpeculatores, ad agnoſcendum, quod hæc *incommoda*, ſaltem minùs felicem *ſucceſſum*, *utilis* tamen *intentionis*, inſequantur. Quod quidem facilè ipſis condonari poſſet, ut *Theoriæ*, ſeu *rationabilis comprehenſionis*, defectus: niſi graviſſimum illud damnum ipſi praxi objiceret, ut, dum non percipiunt aut agnoſcunt, quorſum *apparatus* & *conatus* illi, (quorum impeditus ſucceſſus moleſtias tales demum inducit) nempè ad ejusmodi utilem atque neceſſarium ſcopum, collineent, imò contendant, quantumcunque etiam *eminùs*, aut per *ambages*: Hinc ipſi talem ſcopum pro objecto juſtæ *methodi curativæ* conſtituere, quod non utile ſolum ſit, ſed etiam multoties neceſſarium, in animum inducere minimè poſſint.

XXVI.

Hoc certè reſpectu ad veram *methodicam* curationem, quolibet intuitu, neceſſe eſt, conſiderare atque diligenter expendere, quantæ *utilitatis*, paſſim, & in plerisque affectibus, maximè omnium autem, pro eorum, aut *impetus* eorum, præoccupatione, ſit, *tempeſtiva* & *opportuna ventilatio Sangvinis*. Quandoquidem hæc non ſolùm quaſi directe, levamen bonum & optabile ſuppeditare poteſt; ſed etiam *ſecundariò*, & *mediato* effectu, reliquis recte *ſubordinandis* remediis, meliorem *aditum* parare, & viam, quod ajunt, ſternere: adeo certe, ut etiam nequaquam raro, non *præmiſſa*, aut in *ſubſidium* tempeſtivum adhibita, hujusmodi *ventilatione*, ut jam innuimus ſuperius, re ipſa effectus, à *bonis* de reliquo remediis ſperandus, omnem expectationem fruſtretur.

XXVII.

Habet autem hæc pars *methodi*, imò vendicat ſibi, locum non poſtremum, in verâ curâ omnnium affectuũ, qui à *congeſtionib9*, ut vocant, humorũ, verſus & circa regiones atq; partes, quæ alias *ſpontaneæ ventilationi* ſangvinis, per eruptiones *hæmorrhagicas*, idoneæ obſervantur, obtingunt; in quib9 tam *ſtagna-*

gnatorias, diſtenſivas, gravativas atque *phlogoſium* participes, moleſtas ſenſationes producunt: Jam acrioribus *contentionibus, vibrativo-ſpaſticis*, exquiſitiores *dolores* inferunt, *arthritici* cenſus: Jam, *impetuoſis* impreſſionibus, *ſtaſes*, & hinc *inflammationes*, poſt ſe trahunt: Jam alia *methodo*, prævia *colliquatione*, ſub *reſoluta* ita forma, ejiciendi, & ita *imminuendi*, ſanguinem: aut *critica* tandem ſtrictiore *expreſſione* hæmorrhagica, eundem exturbandi, ſcopo, febres ancipites inſtruunt.

XXVIII.

Inter quales ordines, verum primatum ducunt, illa talium *ſchemata*, quæ, niſi animus per heteroclita præjudicia plane contra obfirmatus exiſtat, tanquam in ipſos ſenſus ſeſe ingerunt, per *adſvetarum hæmorrhagiarum prægreſſarum*, & ipſius etiam *ſcarificationis*, illos memorabiles effectus ut, quamdiu his inſiſtunt, tolerabilius habeant, aut planè de talibus pathematibus nihil experiantur, talia ſubjecta: quando vero *evacuationes* illas poſthac temerè negligunt, tunc non ſolum importuniores incurrant, qualescunque ſuos priſtinos affectus: ſed etiam plane novis & *inſolitis* demum obnoxii evadant. Quorſum eximie pertinet, in *fœminis*, ſanis de reliquo atque vegetis, ſimul tamen *plenis ſanguine*, per ætatem eveniens *ceſſatio* evacuationis *menſtruæ*, ante hac *liberalioris*: in *virili* autem etiam ſexu, ſub ſana & vegeta plane reliqua conſtitutione prægreſſa, conſuetæ *agilioris* atque *laborioſioris* vitæ rationis, mutatio ſubſequens, in *deſidem* & ignavam, manente interim pleniore victu, adeoque magis magisque accreſcente *plethora*.

XXIX.

Quemadmodum autem veris his, & latè patentibus, uſibus, *ſubtractio* abundantis ſanguinis, *methodicæ Curationis* partem non poſtremam abſolvit: ita, ut verum ſui uſum rectè aſſequatur, neceſſe eſt, ut ipſa quoque, verè utili & *conveniente* methodo inſtituatur, vere *tempeſtivè* atque *opportunè*

tunè: de qua re etiam adhuc præſente loco, quod quidem jam alibi à Dn. D. Præſide factum eſt, aliqua monere convenerit: Tantò magis, cùm etiam noſtræ tractationis, aut ad minimum *Lemmatis* ſeu tituli, interſit, ut mentem noſtram, quantum ſatis eſt, declaremus. Nempe, cum *Lemma* Diſſertationis noſtræ, loquatur, de Curatione *Methodica*; ſolennis autem in ſchola *medico-practica* ſit diſtinctio, inter methodum *præſervativam*, & *curativam*: ubi *præſervativa*, pro ſcopo habet cauſarum *præoccupationem* & *interceptionem*: *Curativa*, læſionis ipſius, jam factæ, ablationem: poſſet hoc ſenſu nobis imputari, quaſi ita aliud, quam quod titulus noſter præ ſe fert, agamus, dum non ſolum jam elocuti ſumus, quod noſtra tractatione, nominatim *ſanguinis ventilatione, univerſaliora*, cauſam ipſam *antecedentem*, & ad ſummum *fomitem* affectuum, tollere & præripere velimus: imo, ut mox dicendum veniet, partem etiam jam mentio injecta eſt, etiam *extrà* ipſos actuales *inſultus*, hujus auxilii adminiſtrationem commendemus: quaſi ita non tam *curativam* quam *præſervativam* methodum ſiſtentes, aliud, quam titulus noſter promittit, ageremus. Sed, cum plane diverſa res ſit, *intentio* imo ipſa *inventio*, curativa, quatenus *præſervativæ* condiſtinguitur; & vicisſim, *Curatio in genere*, nempe quidquid medicus ad ſanandum ægrum intendit, ac impendit: adeoque omninò diverſum quiddam denotet, *methodus curativa*, & *Curatio methodica*: non habebit inde quisquam juſtam cauſam dubitandi, aut offenſionem qualemcunque hic inveniendi.

XXX.

Omni modo habet ſe ita res, ut revera *methodum*, de qua loquimur, pro toto vero *complexu* Curationis talium affectuum, quibus quadrat, inſervientem, *ſanguinis ventilatoriam* & *imminutoriam*, *ordine* æque, atque tota *deſtinatione* magis *præſervativa*, quam *ſtrictè* & directè *curativa*, inſtruimus. ſiquidem veriſſimus uſus *miſſionum* ſanguinis, non certiùs

tiùs firmum atque *ſtabilem* uſum præbet, quam ſi ea ratione adminiſtretur, quam vulgò *præſervativam* appellant *extrâ* ipſos adhuc actuales morborum *inſultus*, pro *præoccupandis* potiùs & averruncandis, qualibuscuuque eorum *cauſis*, & *fomitibus*: & hac ipſa ratione, habet omni modo ſanguinis *ventilatio*, præcipuum ſui, & maximè *fidum*, uſum, *antè* actuales quorumcunque hujusmodi morbidorum affectuum eruptiones; *tranquillo* adhuc, aut ſane nondum *exquiſite* exacerbato, totius morbi impetu. Quod adèoque tanto meliorem locum habet in ejusmodi affectibus, qui non uno jugi impetu abſolvuntur, ſed potius *recurſando*, frequentiores novas perturbationes exhibent: ubi inane penitus eſt cœptum, quamvis ſatis familiari uſu receptum, ſoli præſenti *inſultui* curam deſtinare: Cum potius vera. *Curatio* hujus indolis morborum, in eo verſari debeat, ut ipſa *occaſio* recurrendi auſſeratur, & hac demum ratione non ſolius *paroxyſmi*, ſed revera totius *morbi* Curationi, tota intentio adaptetur. Hanc, inquam, intentionem, reſpicit unicè, tempeſtiva, *præoccupatoria*, tranquillo adhuc tempore, extra paroxysmos, ſeu actuales exacerbationes, ſanguinis eductio. Cui vero adhuc illam etiam circumſtantiam ad latus ponimus, ut perito judicio decernatur, quonam maxime *loco* ventilatio talis meliorem uſum & effectum ſpondeat & polliceatur? ubi practicæ obſervationi, & proinde peritæ applicationi, commendamus, ſuaſionem V. S. *in pedibus, potius*, quam in *brachiis*: niſi in peculiaribus aſſuetudinibus.

XXXI.

Poſt hanc *methodicæ* Curationis actionem, *ubi*, & *uti* decet, in uſum deductam, proximum locum ſibi vendicat, *Commotionis* humorum peccantis, inteſtinus, jam *ſtimulus*, jam *fomes*, compeſcendus atque mitigandus. Vulgo hodie commemorant & accuſant, *turgeſcentiam* ſanguinis, *ebullitionem*, *expanſionem*: Cui ſenſui applicant Græcorum ὀργᾷν, ϗ ὀργασμὸν: quamvis hoc longe magis quadret in affectus ſub-

ſubſequentes demum, inſultus impatienter & contentioſe *eliſorios, depulſorios* & *expulſorios*. Neque certè plane fruſtra eſt tota hujusmodi contemplatio, quin revera *inteſtina* etiam concitatio, ſpecialibus illis *directionibus*, ad certa *loca*, ſed tamen tandem ad exonerationem *collineantibus*, occaſionem præbere *poſſit* æque, atque *ſoleat*. Interim, cum utique nequaquam ſemper & abſolute hoc ita fiat, ſed etiam longior *adſuetudo*, alibi, alibi acrior & impotentior indoles, non ſuppleat ſolum, ſed longe quoque ſuperet, hujusmodi materialium conſtitutionum energiam, eſt certè hinc ante omnia veritas hujus rei, per individua bene diſcernenda, & velut invenienda, imprimis reſpectu variorum *mediorum*, hujusmodi intentionibus poſthac deſtinari ſolitorum. Quorum aliqua etiam, cum majore energia, materias jam *educere*, jam *alterare*, poſſunt: quæ interim, ſi dijudicatio illa non ſatis recte inſtituta fuerit, non ſolum varias, ſed propemodum certas, turbas objicere poſſunt: ſi nempe *materiæ* quibus deſtinantur, non adſint *proportionatæ*, ſed magis ipſius *motus* tanquam *directum* ſit vitium, quod etiam medicamentoſis ejusmodi paulo *activioribus*, incitari magis posſit, quam mitigari.

XXXII.

Ubi autem vera eſt hujusmodi *inteſtinè commovens* & *exacerbans* cauſa, ibi è pluribus vulgo decantatis, *duo* præcipua laudare non veremur. *Nitrum*, & *abſorbentia*. Illud magis in *chronicis* Commotionibus; hæc magis in *acutis*. Ita tamen, ut utraque etiam, utrobique, eximiâ utilitate, modo ſub juſto & perito uſu, non deſtituantur. ubi inſuper etiam *abſorbentia* vulgò dicta, jam lenibus *acidis* ſaturata, non contemnendam prærogativam, præ *nudis* & ſimplicibus, ſæpe numero exhibent, quamvis ibi etiam *nudorum* abſorbentium aſſociatio cum *Nitro*, ſubinde haud multum diſparem efficaciam exſerat. Sicut autem non jam propriè de ipſis *medicamentis*, ſed de *ſcopo* potius, ad quem *dirigenda* veniunt,

ſermo

ſermo nobis eſt; ita ſufficit noſtro propoſito, monuiſſe, quod utique illa, ut loquuntur, *indicatio*, *intentio* inquam, hunc in hoc ordine locum ſibi vindicet; ut etiam Concitatio & *Commotio inteſtina* ſanguinis, *mitigetur* atque contemperetur: quocunque tandem *remedio* hunc ſcopum asſequi quilibet didicerit, modo ab experientia. Cum vero atque certo eventu confirmetur, & quidem iterum, ſine reciproca cespitatione, ut, ubi hanc *inteſtinam* commotionem refrænare convenerit, certe *materialium* cauſarum ſobolem; ibi nudè ad *motus* ipſius, tanquam à *priori*, exaſperationes, animus aut remedia ſpectent: aut jejuna philoſophia, de *efficacia opii in humores per ligationem ſpirituum &c.* in rebus ſeriis, corporis certe periculis & moleſtiis, perverſos eventus poſt ſe trahat, quæ ſolum ad otium ſpeculabundum applicari debuiſſet.

XXXIII.

Quemadmodum etiam evacuatio *Cathartica*, *ſurſum*, ſive *deorſum*, in quibus caſibus revera convenit, aut conducit, partem utique *methodi*, in ſuo ordine, verè conſtituit non poſtremam: Ita eligit certe ſibi, quaſi ſponte, *ordinem* incedendi & procedendi, jam longe magis peculiarem, & fere dixerim *proprium*: Digrediendo jam multum & multo longius, ab *univerſalis* veluti uſus efficacia, ad minimum *directa*. Veteres quidem inſtiterunt propemodum contrariam viam, dum evacuationem *Catharticam*, vix non pro vero *univerſali*, quantumlibet utique *methodico* (nempè in ſuo ordine, & neceſſariis *ſubordinationibus*,) remedio habuerunt. Certe enim non poteſt fugere ſubſidiis juſtis ad intelligendum inſtructos, quod eductionem *Catharticam*, quaſi longe communisſime, in morbis vix non *omnibus* laudaverint, *triplici* maxime intuitu 1.) ad *communes ſordes* educendas, & exonerandum ab illis corpus; 2.) ad humorem quem *cauſam antecedentem* morbi præſentis ſupponebant, ſubducendum atque detrahendum, ut hac ratione materia,

atque

atque fomes veluti, morbo præripiatur, (3.) imò tandem vel ad ipſum jam *corruptum* humorem, è latifundio, ſive ut hodie loquuntur, tota maſſa humorum, hâc via educendnm.

XXXIV.

Cum autem non plane ſterilis dubitatio propioribus temporibus formata ſit, circà ipſam veritatem *electivæ* hujusmodi expurgationis; maximè omnium, intuitu non minùs juſtæ dubitationis, de illis humoribus, quibus dicatur: Eſt illud omninò ſatis certum, imò evidens, quod effectus hujusmodi purgantium, neque tam certum neque tam latum, uſum habeat, uti quidem iſtæ antiquæ ſuppoſitiones præ ſe ferunt atque ſibi ſumunt. Imo verò ſi rem potius ex verò æſtimare velimus, bonos conceptus, imo bonas annotationes & obſervationes circa uſum evacuationis Catharticæ, ut multa paſſim alia ex ipſa praxi utiliter obſervata, peſſumdedit ipſis quoque veteribus, præconcepta illa opinio, quod omnes hujusmodi effectus ſimpliciter referendi veniant ad *materiarum* peccantium, *directam* & veluti *immediatam* edomationem, quæ, uti vel *quantitate*, vel *qualitate* noceant, ita utroque modò *eductio* ipſarum, aliquando *neceſſaria*, ſemper autem *utilis* habenda veniat. E qua, certè falsâ opinione, non potuit aliquid ſolidum atque conſtans colligi atque conſtitui. Cum potius ſolertior animi adverſio affatim oſtendat, quod neque ſimplicis *quantitatis* imprimis *exceſſus*, neque *ſola qualitatis* vera vitia, tam familiariter, nedum ita *directè* morbis anſam præbeant: quàm *motuum*, jam *directiones* heteroclitæ, jam *invitationes*, imò *irritationes* atque *provocationes*, ad alieniora loca: aut *ſucceſſus* juſti debitorum *motuum*, vitium, revera longe propinquiorem cauſalem efficaciam, in multis morbis habeat, quam vera ſive *quantitatis*, ſive *qualitatis* humorum, anomalia, quæ nonniſi *remotius* demum ad effectum concurrat.

XXXV.

Quantumvis autem recentior ſchola medica, *materiæ*

Craſſis conceptibus ita prorſus immerſa, ut de *motu* niſi quatenus illum *materia* informet, atque regat, ne nomen quidem propemodum reliquum habeat; habet tamen ſe res ita verius atque certius, quod etiam *Catharticæ* evacuationis uſus, plus ſubinde debeat *avocationi* materiæ ab aliis partibus, quas moleſte obſidet, aut inſidet, quàm directè, veræ & ſinceræ *exonerationi*, ipſius *materialis* cauſæ.

XXXVI.

Sicut autem Veteres à recentioribus in eo taxantur, quod *materiales* morborum Cauſas, velut *electivè*, è corpore educere, per purgationes *alvinas*, confiſi ſint; ita merentur certe & ipſorum multi juſtam notam, dum *Helmontianum* illud phantasma, quod omnes morbi *ventriculo* ortum ſuum debeant, non ſolum amplexi, ſed etiam valde crudum hoc aſſumentes atque ruminantes, non potuerint inde propemodum aliter, quin *Vomitum* tandem parturirent. *Vomitu* inquam, tanquam *methodicè*, ad plurimos affectus, non *utilem* ſolum, quam planè *neceſſarium*, interpretarentur. At verò, ubi *notoria*, & *inſignis* quidem, *Diætæ* in aſſumptis transgreſſio, non proximè præceſſit; nec etiam *robuſtior* veluti tota indoles, aut reliqua ad vomitum *promptitudo*, ſeu *evemeſis*, præſtò eſt: quin potius ſimul *morbi indoles*, rectè cognita, ad hujusmodi *excretionem* minimè inclinat, imò *vehementes* tales *Commotiones*, ægrius tollerat, aut plane hæc facilem ab illis heteroclitam declinationem *Convenientiorum* motuum & exituum, introducere poteſt: ubi etiam *Flatulentia* patienti valde familiaris, aut ipſi affectui ſolennis, minime negligentem, aut poſtremam, Conſiderationem poſtulat, (ne ſurſum ita evocata moleſtiſſimos poſt hac, & ipſum medicum paſſim perplexum habere adſuetos, ludos edat) non meretur profectò ibi & ſub his reſpectibus, latiorem æque ambitum, *Vomitoria* evacuatio, imprimis ſub reliquis exquiſitioribus *methodiis* locum invenientibus, & ubi non æquè velut ambiguam aleam jacere fas eſt, aut ubi non, pro-

pter

pter circumſtantias ſingulares, *tranquilliori* methodo etiam *contrarias* hujusmodi circa interiora excuſſionibus velut unicus adhuc locus ſupereſſe apparet: quale quid in *Curationibus Caſtrenſibus* obvenire ſolet.

XXXVII.

Quemadmodum autem evacuatio per *vomitum*, æque latiſſime patentem, adeoque ſub tali conceptu *univerſaliorem* uſum, *ſanguinis ventilationibus* aut *alvi provocationibus* parem, non æquè habet; ita non excludi propterea debet penitus, à loco *omni*, in *methodico* ordine. Dantur enim utique hujus generis affectus, in quibus inſignis ejus ſit uſus, adeo, ut vel ipſa *ſpontanea* ejusdem *Commotio*, propter hunc ipſum intuitum, nequaquam *ſimpliciter* & *ſemper*, *reprimi*, aut *cohiberi* debeat; ſed potius peritè atque prudenter *ſublevari*, & ita *promoveri*, ut utilem ſuum ſcopum felicius atque promptius aſſequendo, & bono ita effectu potiatur, & hinc etiam mature iterum quieſcat, & plenam euphoriam poſt ſeſe trahat. Unde quidem illud maximè diſpicere & innumerato habere convenit, *ubi*, ſeu in quibus affectibus, evacuatio *Emetica* verum locum habere poſſit? deinde *quomodo* ibi etiam, verè *methodice* inſtrui, & ad *ſubordinatam* rationem dirigi, debeat? imò etiam *ſponte* ſalutariter cooriens, *tolerari* non ſolum, ſed etiam *ſublevari*, & intra juſtos limites coërceri, adeoque undiquaque *utili* ac *felici* eventui adaptari. Abſtrahendo interim, ut adhuc ſemel meritò urgemus, à *promiſcuo* ejus, & *intempeſtivo*, *temerario* auſu, & uſu, utpote ad actualia damna, gravia etiam, in *ambiguis* aut *delicatis* conſtitutionibus, inducenda, ſatis ſuperque idoneo.

XXXVIII.

Quemadmodum autem ad *ſanguinis* evacuationem, peculiari artificiali *præparatione* non adeò æque eſt opus, aut certus & eximius illi uſus. Ita, è diverſo, *Catharticæ* evacuationi, non malè velificatur paſſim, *præparatio* aliqua: ſi

quidem maximè directus ejus uſus propoſitus. Quoquidem nomine partim *abſorbentia* dicta, partim *ſalina* digeſtiva nominata. ſubinde non perfunctorium afferunt uſum, ſicut etiam *Emeticis* evacuationibus, imò *emetico-catharticis*, quin ipſis *cholericis* conatibus, *præparantia* juſta ſuppeditare certiſſimum bonæ *methodi*, eſt conſilium; adeò, ut etiam accenſeri his ſuo jure mereantur ipſa *vehicula* dextrè ſuppeditata, ad nudum *exitus* adjumentum, ſi nihil amplius, concurſura.

XXXIX.

Cum autem œconomiæ-vitalis, ſolùm ſibi ipſi relictæ, vera *energia*, non ſolum quàm maxime, ſed etiam velut *unice*, collineet ad *methodum*; *ſucceſſus* inquam perpetuos, proportionatos, ſecretionum & excretionum, quibus moleſta Corpori materia, ex illo proſcribatur: Velificatur utique huic etiam propoſito, tum bona *præparatio* materiarum, tum *præoccupatio*, ne nova quædam demum ſubnaſcentia heterogenea, inſignia quædam incommoda, ſive concipiant ulterius, ſive exſerant & inducant. Huic autem effectui conducunt, tum *abſorbentia*, tum *ſalina*, *abſtergentia*, & *aperientia* veriùs atque ſimplicius, ſine faſtu, & inanibus *ſpeculativis* pollicitationibus, *talia*, nec non ſinceriora atque ſimpliciora ex illis, quibus *ſanguinem purificandi* efficacia qualiſcunque tribui meretur. Cum enim *ſanguis* nequaquam poſſit *purificari*, niſi vel *heterogenea* in ipſo forte oberrantia, *corrigendo* atque *ſubigendo*, vel materias tales alienas ex eodem *expellendo*: vel adminimum eaſdem ad *ſpontaneam ſucceſſivam*, ſed tamen *tempeſtivam*, *excretionem* prædiſponendo quandoquidem alia qualiſcunque intimioris *craſeos* ſanguinis in melius Converſio, magis immediatè, certè ſimpliciter *cerebrini* entis titulum adhuc meretur) diſpiciendum hinc utique venit, quanam via, & qua vera etiam atque certa efficacia, utique in hoc niti integrum eſſe poſſit: Cujus beneficio

ſicio propoſitæ atque animo Conceptæ *methodicæ* utilitati, etiam per talia ſatisfieri poſſit.

XL.

Unde quidam veram *methodicam* rationem hujusmodi remediorum, pro reali atque vero conceptu, meritò aſſeveramus, tendere atque valere debere ad *alterationem Evacuationibus* Convenientibus, imprimis *ſucceſſivis*, & maxime omnium *ſpontè* naturæ abſolvendis, ſuffragantem, præludentem, viam ſternentem, & materias præparantem.

XLI.

Quo reſpectu etiam hæc pars medicationis *methodicæ*, non modo præcipuè, ſed ſanè etiam præcipuum, locum habet, in omnibus illis affectibus, quorum Curationi, *ſynergia*, ut vocant, naturæ, multum ſeſe ingerit, & partem ſibi in illis vendicat: Abſolvit autem etiam, non exiguam certè, neque poſtremam, partem, ſed complectitur digniorem omninò, & meditullium velut ipſum, veræ methodi.

XLI.

Propemodum autem dixiſſemus, quod Aſtronomi de ſuis partitionibus in uſu habent, dum ſtellam in *Culmine* medii cœli conſtitutam, in *Corde Cœli* poſitam pronuntiare ſolent, ita hæc etiam, de quibus ſermonem jam modo inſtituimus, *Cor methodi* tenere; ſed præcurriſſet ita, præter quidem & voluntatem noſtram & uſitatum morem, lingua, ſeu potius calamus, mentem, eoque ipſo pervertiſſet, veram veræ *methodi* rationem. Quis autem credat, & cui perſuaſerimus facile, quod veræ *methodi* velut *anima*, verſetur in re prorſus *immateriali*, & quam, inprimis in ſe conſideratam, ad *abſtractiones* referre, non æque vulgus eruditorum, ſed maxime qui omnia per tenue cribrum exigere ſatagunt, minime dubitant: Et tamen ita eſt abſolute, eſt inquam talis modi res *incorporea*, verum penitus *Cor*, & verus *nervus*, totius ſalutaris *methodi*, laudarunt hoc equidem jam pridem, non medici ſolum, ſed ipſum etiam paſſim vulgus, & genuino ſuo

 nomi-

nomine ſalutaverunt; ſed aſſignaverunt ſolum alieno objecto: quando nempè remediis, ita vulgò commendatis, *repentinos* ſperatos eventus non reſpondere perſentiſcunt, imo vel ab ipſis importunioribus, æquis æque, atque adſtantibus, repetitio juſto frequentior atque copioſior remediorum, aut præſcriptio novorum, poſtulatur, & urgetur, excuſant hi atque denegant obſequium tale, illa loquendi formula, quam maximè familiari, man muß einen medicament auch ſeine Zeit zu würcken laſſen / und könne ſolches nicht ſo ſtracks hinhelffen ꝛc. Quod ipſum, licet revera etiam de medicamentis ſatis *manifeſtam* directam *efficaciam* poſſidentibus, vere valeat; eſt tamen de hujusmodi *alterantibus*, in ſuo ordine, de quibus nunc nobis ſermo fuit, tantisper quidem verum, ſed tamen ſi res exquiſite enuncianda veniat, alteri potius *objecto* adaptandum.

XLIII.

Eſt, inquam, *Tempus juſtum* atque *proportionatum*, *methodi* vera illa *anima*, cui innititur univerſum, juſti ſucceſſus & effectus negotium. Et commendavit illud è paucis, tanquam magis ex profeſſo, *Gideon Harvei*, proprio ſcripto, ſub nomine, nempè reſpectu *medici* atque *patientium*, *expectationis*.

XLIV.

Sicut autem hæc circumſtantia, *temporis* inquam debita *Expectatio*, locum eximium ſibi vindicat in uſu medicamentorum ejusmodi *præparantium*, quæ materias, ad ſucceſſuras convenientes *ejectiones*, rectè *prædiſponunt*; ita exigit tamen etiam juſtam ſui Conſiderationem, & æſtimationem, etiam pro verò *momento*, aut certè vera *opportunitate*, ipſarum quarundam exonerationum rectè abſolvendarum. Ubi nempe illa conſideratio memori menti obverſari debet, quomodo multæ tales medicationes, quæ *alterativæ* reputantur, nequaquam ſint *abſolutè* tales, ſed abſolutè *reſpectivè*, in ordine ad ſubjungendam actualem *excretionem*. Quod nempè

pè medicus tanto magis cordi habere debet, ut tam hujusmodi *præparatorias alterationes*, in *tempora*, *excretionibus*, recte idonea, diſtribuat: quam etiam ipſas tandem *excretiones*, non ſolùm non *impedire*, ſed etiam pro re nata, *promovere*, aut certè *fovere*, meminerit.

XLV.

Præcipua illarum *Excretionum*, quæ maturum *tempus* poſtulat, eſt illa *Diaphoroſis*, quæ non ſimpliciter *halituoſam*, verum etiam *ſeroſam*, evacuationem ſub ſe comprehendere debet. Cujusmodi certè in *febribus intermittentibus*, vel etiam *continuis*, non ſimpliciter *malignis*, & *contagioſis*, illic ſub finem *paroxyſmorum*, imprimis non planè, indifferenter; hic *ſeneſcente ſtatu*, aut, inter *indicatorium & criticum*, & quidem etiam ſecundum *paroxyſmos*, eorumque *declinationem*, evenire ſolet. Quin etiam *ſpontaneis* ſubinde excretionibus, *ſudor*, imprimis circà *æquinoctia*, *matutinis* horis, poſt abſolutas omnes Coctiones, ſuſcitatur; & poſtulat omninò *tempus* conveniens, quo *proſequi* fluxum ſuum indies poſſit ſine *perturbatione* aut *neglectu*: ſecùs, non ſolum nullum uſum habiturus, verum etiam incommoda illa *Rheumatico-arthritica*, quæ juſto ſui libero ſucceſſu *præoccupat*, poſt ſe tracturus.

XLVI.

Enimverò certè in adornando etiam, ſeu injungendo, *ſudatorio*, *regimine*, eſt omninò opus juſta hujusmodi conſideratione, cui *ſubjecto*, cui inquam *materiæ*, evacuandæ deſtinetur; ubi quidem, non ſolùm generalis *præparatio* ad ſudandum, convenienti methodo ſuperſtructa eſſe debet: ſed etiam ſpecialior ejusdem deſtinatio ad ſingulares magis, maximè in negotio *febrium*, *ſcopos*, & *tempus* conveniens, & ſubordinationem peculiarem, poſtulat. De generaliori quidem illa ſudatoria præparatione, habet locum, jam etiam antiqua hujusmodi admonitio, ne *Commotio* humorum, quanta pro diaphoreſi requiritur, & ipſa hæc *propulſio* è centro

ad

ad peripheriam, ſuſcipiatur temerè, dum corpus adhuc *crudioribus* recrementis ſcatet. Imo propiores improbant *ſudationes*, nempè *Commotiones* impetuoſiores, ad ſudores exprimendos, in *ſcorbuto*: Cujus quidem, hujus ſenſus *ſcorbuticæ* intemperiei, *ſudatoriarum* importuniorum Commotionum impatientis, longè *ſinceriorem* atque *ſimpliciorem* genealogiam invenire licuerit, in conſtitutione *plethorica* ad *hæmorrhagias* inclinante, ſed ſatis liberum ſucceſſum, & exitum, non inveniente.

XLVII.

Eſt itaque verus *methodicus* uſus *diaphoreſeos*, ut, 1) antè omnia rectè *prædiſpoſitis materiis* demum adornetur: quorſum etiam ipſum *tempus* pertinet, cujus decurſu, etiam *quantitas* conveniens ſeroſi excrementi, ſive generari poſſit, ſive ad promptiorem exitum ſubigi. 2) Eſt etiam obſervanda juſta proportio *Commotionis* ipſius, æque, atque *Continuationis* ejusdem: ne temerè in *exceſſu*, aut *feſtinatione*, aut *defectu*, peccetur. 3) Ut etiam totus hic actus, maxime in ſuo *ordine*, ſuſcipiatur, remotis etiam aliis impedimentis: aut *conjunctis* morborum cauſis, etiam decenter præoccupatis, atque ſubactis, adeò totus etiam *effectus* diaphoreſeos, unicè exſpectetur, ab ejus *juſta*, atque *legitima*, nempe *methodica*, adminiſtratione, nequaquam autem aliter.

XLVIII.

Tandem autem in Curatione *methodica* ſuum etiam locum ſibi vendicant, *medicamenta*, vel aliquanto laxiore ſenſu *appropriata* dici ſolita, vel ſtrictiore *ſpecifica*. Licet enim imprimis hujus poſtremi ſenſus remedia, illi *methodo*, de qua nobis propriè in præſente tractatione, ſermo eſt, *ordinariè*, id eſt, tanquam *ſimpliciter*, & *abſolute*, tantum non debeant, ut illa tanquam certò indigeant atque opus habeant: ſed paſſim, ſummè ſuccincta ſpecialiſſima *methodia*, immediatæ *applicationis* & exhibitionis ſui, contenta eſſe poſſint, quantum ad verum ſui atque ſtrictè proprium effectum aſſequendum,

quendum attinet: Non eſt tamen etiam hoc negandum, quod ſubinde *affectus*, quibus hujusmodi *effectus* debentur, per *Concurrentes*, & *Complicatas*, alias caufas, talem *Compoſitam* indolem induant, & ab illis ita foveantur; imò vel ipſa *ſubtilior* medicamenti ſpecifici *energia*, & agendi ratio, hinc ita obnubiletur, atque præpediatur, ut ad minimum longè certè ſecurior ſit, illa eorum remotio, quæ per *generaliorem* quoque *methodicam* Curationem obtineri queat. Unde quidem veriſſimum omninò illud eſt, & ſæpe-numerò, in quotidianâ practicâ obſervatione, occurrit, quod poſt prægreſſas *Communes* uſitatas varias medicationum formulas, qualitercunque etiam methodo *univerſaliori* reſpondentes, quibus interim affectus aliquis *peculiaris*, minimè omnium pareat, atque cedat, tandem caſu ſubjunctum aliquod verum *ſpecificum*, miraculo proximam efficaciam exhibeat, qualem, è contra, in aliis ejusdem ſpeciei caſibus, ubi autem nihil tale univerſalius præmiſſum fuerit, longè languidius, atque impeditius aſſequatur.

XLIX.

De vulgò dictis *appropriatis* autem remediis, valet omni modo, jam per ipſa initia noſtræ tractationis allegatum monitum, de *univerſalibus præmittendis.* Quandoquidem talia, nonniſi ſecundum hæc, cum qualicunque ſinceritate, atque certitudine, effectum ſuum ſperatum exhibent. Unde certè hæc *ſubordinatio*, tantò magis cordi eſſe debet Medico, ut tanquam *directo* & præcipuo affectui, aut *fomiti* ejus, non temerè manus injicere audeamus, priusquam ſive *Conjunctæ* cauſæ, ſive qualiacunque *impedimenta* liberi regularis effectus, vel remota ſint, vel ſemota, atque disjecta.

L.

Non autem perſuaſi ſolum ſumus, ſed ſuffragatur in hoc ipſa locupletiſſima Experientia, quod valde familiaris hodiernæ praxi, *neglectus* hujusmodi *proceſſus*, mirum quantum contribuat, ad inanes atque ſteriles reddendos effectus reme-

mediorum, etiam ſæpè numero nequaquam contemnendorum. Dum *præpoſtero* ordine, nihil *præparata* materia, non dimotis, aut domitis *impedimentis*, nimis ineptè, ſimplici feſtinatione, tanquam ſtatim ad ſummam totius negotii, ſimul & ſemel abſolvendam, intentio dirigitur, & ſtatim, quaſi *directè*, *appropriata* medicamenta, præcoci auſu & uſu, offeruntur.

LI.

Ubi quidem piget, de illa etiam offenſione multa loqui, ubi perverſò toto *ordine*, auxilia *methodica*, ſine omni *methodo* adhibentur. Ubi odium certè eſt audire exceptiones ejusmodi, quando mentio injicitur eorum ſubſidiorum, quæ optimo uſui inſervire poſſint, ut parata ſit reſponſio, eſſe omninò etiam hæc in uſum tracta, ſed *nullo* (imò aliquando etiam *heteroclito*) effectu. Ubi interim, ſi res curioſius perveſtigetur, totus *ordo* præpoſterè *inverſus* atque turbatus ſit; adeoque nulla ratione ita fieri potuerit, ut bonus effectus inde naſceretur. Quæ interim confuſio, ingens pasſim opprobrium, *arti*, & *ſubſidiis* ſalutaribus: offendiculum autem *ſcientiæ*, atque juſtæ æſtimationi *Theoreticæ*, objicit, ut, niſi verus hic fundus mali, *Confuſio* inquam atque perverſio veræ *methodicæ* adminiſtrationis, ejusque dignitas, ad bonum aut malum effectum, rectiſſimè intellecta ſit; & perverſio, circa tales caſus, perveſtigata, atque cognita ſit: perperam ipſarum rerum bonitati deficienti hoc imputetur, quod incondito *uſui* unicè debetur: quod profectò dolendum.

LII.

Quemadmodum autem vera *Specifica*, propemodum manifeſtius magis reſpiciunt *motus* inuſitatos & anomalos, quàm materias; ita quidem, ut vera *motuum* anomalorum (ſed *peculiarium*, *peculiaria*) *ſedativa* haberi mereantur: Ita poſtulat profectò etiam debitam & maximè juſtam conſiderationem, famoſiſſima illa recentioris ſcholæ intentio, per *ſedativa*, *Anodyna*, *Narcotica*, mirificos uſus & effectus obtinen-

nendi. Certè, ſi *duplex* difficultas, ſed utraque *inſignis*, evitari poſſet, nullo modo inconſultum eſſet, hoc propoſitum. Dico, ſi antè omnia remedia, quæ *ſedativo* tali effectui deſtinantur, hunc ipſum ita ſincerè aſſequerentur, ut nullo *heteroclito, dubio,* aut *noxio, alio* effectu pollerent, ſed unicè *mitigarent,* ac *ſedarent,* optabilis eſſet illorum uſus, & ſalutaris undique, eventus. Cum autem *narcotica* illa violentia, multas manifeſtas *perturbationes,* non ſolum in *morborum decurſu,* ſed etiam totius œconomiæ vitalis tranquilla ſerie, proferat, & poſt ſe trahat; ortum eſt jam pridem circumſpectioribus faſtidium, imò ex ipſa experientia, irrequietum ſtudium, *malitias* narcoſeos, ſalva illa exoptata *ſedatione, cicurandi,* ſeu *opium corrigendi.* Secundo verò loco, graviſſima profectò, paſſim huic intentioni, æquè atque inventioni, offendicula, valdè communiter objicit, neglectus juſtas, imò neceſſariæ *methodi,* ſeu *opportunitatis* exhibendi. Ubi, quando jam *tempore,* jam doſi, jam ſubſidiaria reliquorum remediorum *aſſociatione,* aberrat practicus, pro ſperato uſu, ſiniſtros ſucceſſus familiariſſime reportat. Nempe, cum opium in ipſos *humores,* ſubſtantiam inquam & craſin illorum, vel nullam, vel certè nullam *ſalutarem,* efficaciam atque poteſtatem habeat; ſed unice *motus,* & tam *incitamenta* illorum *ſenſualia,* quam *irritamenta intentionalia,* obnubilet: Interim, cum totius *Vitalis* Conſervatoriæ Corporis *methodi* apex, verſetur in aſſiduis tam *præparationibus,* quam actibus *ſecretoriis* & *excretoriis*: *Motibus* inquam, bono *ordine,* ad *Conſervationem* Corporis, per *expulſionem noxiorum,* neceſſariis: quales *ſequi, imitari,* & decenter *promovere,* omnino ipſa etiam *ars* neceſſe habeat: remediorum, ſine hoc *ordine* atque ſcopo, validè *ſalutarium,* copiâ quam maxime deſtituta: facile hic eſt impingere in illud, à quo non ſtudio ſolùm, ſed ipſo utique facto, caviſſe decuerat; *impeditionem* inquam, *debitarum* & *ſalutarium, tempeſtivarum,*

aſſiduarum, *ordinatarum*, *proportionatarum*, *ſecretionum* & *excretionum*, & ad has pertinentium *motuum*.

LIII.

Unde, niſi quidem planè præferre videatur *abſtinentiam* ab hujusmodi artificiis, ſub directa juſta proſecutione *methodicæ* Curationis morborum, revera minimè neceſſariis, facile verò offenſionem objicientibus; antiquiſſimum certe eſſe debet, *duplex* illud monitum, *primò*, ut *ſedativa* talia, ſeu potius *ſtupefacientia*, & totam ſalutarem intentionem confundere apta, non niſi ita *refracta doſi* exhibeantur, ut *turbatorius* illorum effectus, quam minimam poteſt, confuſionem edat. 2do, ut potius, ubi inſignis *neceſſitas* non efflagitare videtur, illis plane ſuperſedeat, & modo caſibus *urgentibus*, eadem reſervet artifex: 3tio, nunquam *directa* intentione, ut *in genere ſopiendi*, talia adhibeat, ſed omnino cum talibus, quæ ſalutarem activitatem *decurſus morbi* adjuvare valeant, conjunctim, imo ſubordinando ſolùm, hæc talia uſurpet, 4to, ut inconſideratæ *continuationi*, ubi nihil amplius *urgeat*, temerè animum non ſubmittat. imò verò, 5to, etiam *noxas*, quas uſus narcoſeos ſubinde poſt ſe relinquit, talibus, quæ bonam & legitimam, *activitatem*, in juſtam ſuam viam revocare poſſint, iterum emendare, & quantum poteſt excitare, cordi habeat. 6to autem, frivolis illis & inanibus *pollicitationibus*, de variis *cicurationibus* ſeu *correctionibus* opii credulitatem temerariam non adhibeat. Optimum autem *anodynum* eſt, *materiæ* veræ *peccantis*, *Contemperatio* poſſibilis; promotio verò *ſecretionum* & *excretionum* ejus, citrà turbulentiam, ſollicita, æque atque *circumſpecta*: &, debita, idoneorum ſucceſſuum exſpectatione atque patientia munita. Quibus rebus rectè procuratis, ſi *tranquillitas* maximè tolerabilis non ſuccedit aut reſpondet, fruſtrà profectò eſt *opium*, cum omnibus aliis *fucis*, atque *larvis*.

LIII.

Tandem autem denique juſtæ *methodi*, vera proſecutio,

tio, involvere debet, etiam remedia, morbo propius & ſpecialius accommodata: quæ vulgò ſub *appropriatorum* nomine, una comprehenduntur. Diſtinximus hæc jam ſuperius, à *ſtricto* ſenſu dictis medicamentis *Specificis*; & non ſolum ſignificatum, ſed etiam uſum & effectum laxiorem, illis aſſignavimus. Supereſt, ut paucis verbis adhuc ſemel innuamus, quod pleraque talia *appropriata*, non ſtrictiſſimo ſenſu *ſpecifica*, effectus edant, ſenſibilius ad *evacuationem* noxiarum rerum collineantes: Cum *ſtricti* ſenſus *Specifica*, plus propemodum operentur tanquam inſenſibili *alteratione*, non æque verò ſenſibili aliqua materiæ qualiscunque morbidæ *exoneratione*. Quemadmodum autem ad *methodum* noſtram meritò retulimus, etiam ipſam *Expectationem*; ut neceſſarii ſucceſſus tempus inveniant, nedum qualemcunque *præparationem*, quæ ad *tempeſtivam eliminationem*, ipſas materiales noxias res prædiſponat & aptet: ita eſt utique probè ponderandum, quomodo talia *appropriata*, quæ quacunque ſenſibili ratione effectum ſuum aſſequuntur, (qualicunque inquam *evacuatoria exoneratione*,) tam *ordinem* juſtum, ſeu ordinatos *ſucceſſus*, quam *periodum* juſtam, ſeu *opportunum* temporis *ambitum*, obtineant, atque ſervent: Utpote in quarum circumſtantiarum juſta obſervatione, paſſim velut anima, certè verò nervus præcipuus, felicis talium effectus fundari ſentitur.

LIV.

Equidem praxis perita atque circumſpecta, hoc facile commonſtrabit, quod etiam *appropriatorum* talium uſus, *promiſcuus* ſolum, & ſine *methodo* decente ſuſceptus, paſſim ſpem fallat aut plane deſtituat; ſi nempe vel in *ſolis* appropriatis, proram, quod ajunt, & puppim conſtituat Practicus: vel ſine juſto *ordine*, *præparationis*, *expectationis*, & tandem *exonerationis* (etiam interdum ſine artificiis, *ſponte* naturæ, perpetrandarum rerum) *directè* & *ſimpliciter* omnia *appropriatis* demandare, in animum induxerit: Quamlibet autem

 non

non inſolidum ſubſcribamus opinioni veterum, intentionem tamen quam ſibi præfixerunt in his cœptis, qualicunque admonitione agnoſcere minime erubeſcimus: quando nempè etiam ſimplicioris efficaciæ, *evacuantibus*, paſſim adjunxerunt *appropriata* talia, quæ illi morbo *propiùs* conducere arbitrabantur. Quamvis enim minimè agnoſcamus quod, v. g. *purganti* (imò vel ſolùm *Clyſteri*) in affectibus *Capitis*, *pectoris*, &c. multum ſubſidii afferre, & proinde ſtudioſe ſociari, poſſint aut debeant, remedia *Cephalica*, *pectoralia* &c. (in eâdẽ formulâ,) nempe ita ſic dicta harum regionum *appropriata*: poſſunt tamẽ hæ intentiones antiquorũ curæ, illud ſuggererere praxeos tyroni, quod omnimodo rationi conſentaneum haberi mereatur, ut etiam v. g. *purgationis* operatio & uſus, quacunque ratione *dirigatur* ad *ſubordinatum* reſpectum, *ſubjungendorum*, & ad *conſpirationem* inſtruendorum, talium remediorum atque proceſſuum, quibus intimiori veluti, nempe *ſpecialiori*, morbi indoli, propiùs, imò tandem proximè, detrahere, aut obicem ponere, obtingat.

LVI.

Certe vero vendicant hoc ſibi *appropriata* talia remedia, ut non ſolum paſſim univerſaliorum, tanquam præliminarem & *præparatorium*, præcurſum veluti requirant, & deinde dictis hujusmodi univerſalioribus, omninò tempeſtivè atque opportunè, *ſubjungi*, debeant: ſed etiam juſtum ſuum ſtadium nanciſci, atque liberum obtinere, efflagitent, extrà & citrà quod, *fruſtrà* ab illis ullus ſolidus, atque *conſtans*, utilis effectus exſpectatur,

LVII.

Enimvero poſſemus videri hâc ratione noſtro propoſito in deſcribenda *methodica* curatione ſatisfeciſſe; & fecimus étiam, quantum propemodũ ad *materialem* conſtitutionẽ, & *poſitivas*, ut ſcholæ loqvuntur, intentiones attinet. Cum vero in corpore humano, præter directas *poſitivas* intentiones, etiam

pri-

privativæ, *cavendarum* rerum, locum ſibi vendicent; tantò magis autem *vivi*, imo *vividi*, corporis œconomia, in ſolis *materiarum* proportionibus minimè acquieſcat, ſed etiam *actionum* Energiam & alacritatem, tanquam proprio loco, & velut *à priori*, ſupponat: requirit propterea, tanquam uno ore, practicorum chorus, ut etiam harum rerum exquiſita ratio habeatur, nempe ut illi loqvuntur, *Diætæ* decenter conſulatur, & *Virium* conſtantiæ & inſtaurationi, opera impendatur.

LVIII.

Quemadmodum autem, neque de *Diæta*, neque de *Virium* corroboratione, *directè* agere, nunc quidem propoſitum noſtrum fert; ita quidem tanto facilius paucioribus noſtras partes abſolvere poterimus. Equidem *Diætam*, quod concernit, convenit per totum morbi cujusque decurſum, *moderamen* utique ejus juſtum, atque circumſpectum antè omnia, ne pejus circà hoc objectum morati ægri, morati ægri, aliquid ſibi hic ſumant aut indulgeant, incondita *ingurgitatione*, *alienarum*, *refractariarum*, imò *turbulentarum* materiarum: neque vero etiam ii, qui ſpontè *faſtidiunt* & abſtinent, inconſultò, & præter rem, perſvadendo, nedum impellendo, ad eſculenta aſſumenda *adigantur*: Maxime omnium autem, non ſolum *Carnes*, ſed omnino etiam *gelatinoſa* Carnium decocta atque juſcula, ab ægris, imprimis *febrientibus*, ſimul verò etiam quibuslibet *faſtidientibus*, abeſſe ſinantur. Quin in ipſis *Emulſivis*, palato blandientibus, ſed ventriculum onerantibus, prudens modus ſervetur: ſicut etiam potus *Cereviſiarii* ſaturatiores, jam plus hinc inde, quam *tenuis victus Hippocratis*, infert, ſi largius concedatur. *Potus* interim ipſe, *ſitientibus* imprimis, non nimium rigidè denegetur; aliis, etiam non ſitientibus, tamen prudenter, imperetur: Simul tamen quoquo modo caveatur, ne *qualitate*, inebriativa atque turbida, *capiti*, aut *foeculenta*, *Ventriculo*, negotium faceſſat, pro reliqua diverſorum affectuum indole, ſubinde conſideratu maxime dignum.

LIX.

Quemadmodum autem ægri, (ſi *alieniora* & minime toleranda, *delicatiorum* phantaſiis incidentia, ſeparentur,) paſſim, propemodum ſibi ipſis Diætam inſtruunt, parum appetendo: ita iis, qui non actu ægrotant, *Diætam* præſcribere, (ſi modo iterum valdè aliena, & imprimis etiam inuſitata, his ipſis ſegregentur,) nullo bono conſilio nimium *ſeverè*, & intrà arctos valde limites, coercere, ſuſcipitur. Cum aliqualem *patientiam* atque *tolerantiam*, imò tolerabilem, in adminiſtranda, regenda, atque diſtribuenda, concoctione, laborem, œconomiæ animali offerre, eoque ipſo *alacritatem* ejus occupare atque exercere, multis caſibus atque modis, paſſim conſultius exiſtat; quam vel nimium *molli* cibo, *mucidum* atque vappidum liquamen ventriculo objicere: vel longa hujusmodi mollitiei adſuetudine, magis magisque ita ſenſibilem, atque *torpidam* reddere, imò verè *effœminare*, atque *enervare*, laudatam illam *alacritatem*, atque aſſiduitatem *regendæ* concoctionis atque diſtributionis, ut tandem, imò paſſim ſatis maturè, etiam *leves* offenſiones, adverſus tam adſtrictas vivendi leges, plus incommodorum, imò damnorum, & pluribus longè modis, objiciant, quam priſtinæ conſuetæ *laxioris* Diætæ uſus, vel plane non, vel certè nihilo magis, objecerat.

LX.

VIRIUM autem ratio, omni utique meliore modo habenda eſt; quantum modo artis poteſtas reverà fert, & fideliter pollicetur: Simulque vera præſentis conſtitutionis neceſſitudo, *poſtulat* ac efflagitat. Non autem temerè has conditiones ferimus; quandoquidem illæ omninò circumſcribunt 1mò) quid ſine ſupervacuo labore ſuſcipiendo, fieri deceat; 2do) quid etiam, niſi quidem non ſolum ſupervacuum, ſed paſſim etiam *ancipitem*, *moleſtum*, *noxium*, laborem capeſſere, in mentem incidat, *omittere* expediat, atque præſtet.

LXI.

Optima certe *Conſervatio virium*, conſiſtit, in *facili ſucceſſu* totius *proceſſus morbidi*, ubi nempe non ſolùm *Conſtantia* quaſi *quantitatis* virium, ſed etiam *qualitatis*, dico *alacritatis confidentis vigor*, qui anima eſt, ſive, juxta ſcholarum acceptionem, *forma* ipſa, *Virium*, rectiſſime procedit, atque in optato ſtatu perennat. Deficiente vero iſto, & inſigniter prægravato, nec per ipſas etiam medicationes etiam verè ſublevando, & in meliorem viam reducendo, eſt profectò omnis reliqua ſpes, alia inquam, & velut magis *directa* artis poteſtas, vires *inſtaurandi*, aut *intendendi*, irrita, vana, & ſi non ſomnio, tamen tranſitorio illi ſenſui atque imaginationi, jucundæ, ſed evanidæ, par, quæ ab odoramentorum, atque ſic dictorum *balſamorum* variorum, ad nares applicatione, concipitur magis, quam percipitur, ad aliquot momenta: ad ſenſus mali velut oblivione mómentanea fallendos, ſubſerviens, & nihil amplius. Certè enim, & ut breviter nos expediamus, quidquid non quaſi nuda aliqua *jucunditate*, ceu *exhilarat* quadantenus, *ſollicitam*, imò *trepidam*, ac *defatigatam*, intentionem, de corporis periclitationibus *anxiam*; & quicquid non hoc qualitercunque aſſequitur, per *jucunditatis*, ſive *ſenſoriæ*, ſive *æſtimatoriæ*, oblationem; omne tale nihil unquam aſſequitur, atque perficit, in virium negotio, quod ulla conſideratione dignum haberi mereatur. Omnes enim reliquæ pollicitationes atque tentationes, ut ferè *à priori*, inanibus phantaſiis, de magna & recondita efficacia rerum, quæ falſa æſtimatione magni fiunt, tanquam emphatico colore, oblinuntur: Ita *à poſteriori*, deficiente omni ſperato eventu & effectu, inauſpicatò, in rebus difficilibus, calida vota deſerunt atque produnt.

LXII.

Quemadmodum autem inutile eſt, & otioſum, *fugiti-*

vis ac *evanidis*, & verè *umbratilibus*, jucunditatibus, plus quàm *momentaneas* interpellationes profundorum atque funeſtorum malorum, objicere: Tanquam ſi adverſus ingruentia hoſtilia arma, tela aranearum objiciatur: ita eſt certè meritò, & quidem maximoperè, cavendum, ne, non ſolum evanidæ hujusmodi obnubilationes, tanquam magni fiant: ſed planè, *neceſſariæ*, *vigili*, atque *alacri*, reſiſtendi *activitati*, tali inſtituto, tanquam neceſſario reputato, intempeſtiva ſecuritas, aut verius ſtupor, obtrudatur, cujus tanquam incantamento, alieniſſimo tempore, neceſſitudinum ſuarum, non magis oblita, quam planè negligens effecta, quaſi ipſa prima, res ſuas ita deſtituat atque prodat. Id quod, non Anancæo, ſed Circæo poculo, *Narcoticorum*, intempeſtivè & intemperanter oblatorum, indies præſtari, obſervatur.

LXIII.

Quidquid autem usquam, tam ex *Diæta* gratiore, quàm è regimine gratioſiore, ſine metuendo damno, indulgere licet ægris, quod *animum* erigat atque conſoletur, & *Corpori* fovendo magis, quam morbo, idoneum haberi mereatur, id utique pro qualicunque etiam hujus ſcopi ſubſidio, minime negligendum.

LXIV.

Tandem etiam de PRÆSERVATORIA intentione, & quidem in contradiſtinctione ad noſtrum ſcopum, & ſub aliqua *Cautelæ* ratione, pauca adhuc adjiciemus. Illæ medicationes *præſervatoriæ*, quæ in *præoccupatione* materiarum noxiarum, per modum *evacuationis* tempeſtivæ, conſiſtunt, & ſcopum ſuum poſitum habent, minimè quidem contemni debent; ſed habent reverà dignitatem veræ participationis, in negotio *fundamentalis* Curationis. Quæcunque verò extrà hunc ſcopum, extrà, inquam, eximium reſpectum ad *exonerationes*, vel in ſimplici & abſoluta

ta *alteratione*, vel in ita dicta *Corroboratione*, pariter ſimplici & *directâ*, collocantur, Præſervationes, illæ communiter, imo auſim dicere vix non abſolutè omnes, vanæ ſunt, & imaginariæ, & ad verum *fundamentum* morborum, neutiquam pertingunt.

LXV.

Neque verò hoc ſolum, ſed ſunt ſæpe numero certioribus *damnis* inferendis nimio propiores. Quando vel *acribus calidis, balſamicis*, & *nervinis*, ſanguinemque attenuantibus, verius *exagitantibus*, ſine *ventilatione*; vel *volatilibus, humores* quidem percellentibus, ſed *vias ſtringentibus*: vel denique manifeſtioribus *adſtringentibus*, de *martialium* cenſu, ſuperſtruuntur. Unde etiam omnes hujusmodi pollicitationes, revera minimè promerentur ullum locum in noſtro, *Fundamentum* morborum reſpiciente, propoſito, imò potius *Cautelam* ibi potius ſuadent atque poſtulant.

LXVI.

Optima verò *præſervatio* à periculis magis *ordinariis*, abſolvitur *temperantia*, tanquam *à priori*; & ad eandem ſano ſenſu referenda, *elongatione* à periculoſis *extraordinariis* v. g. *Contagioſis*, ſubjectis & objectis: Deinde in *motuum* Corporis prudente atque dextro uſu. Maximoperè verò, uti paulò ante dictum, in *exonerationibus* tempeſtivis, qualiumcunque, Corporis œconomiam gravantium, rerum: Quarum interim longè præcipua, potentiſſima, atque pertinaciſſima, eſt ſanguinis *abundantia*, *Commotionibus* actualibus, in *proximam potentiam* nocendi adducta. Cum enim aliæ ſic dictæ cauſæ *antecedentes*, *morbidæ*, *præſentioribus*, *brevioribus, paucioribus*, incommodis, anſam præbere ſoleant: hæc *longinquioribus*, *longioribus*, & plurium *ſchematum* feracibus, ſimulque ſubinde *repullulantibus*, & maxime *pervicacibus*, variis incommodis, originem præbet.

LXVI.

Ex omnibus itaque huc usque dictis, ſponte ſequi atque diluceſcere confidimus, non ſolum quanta ſit dignitas & utilitas, curationis, ſecundum noſtrum ſenſum & acceptionē, *Methodicæ*, ſed etiam, ubi illa quærenda veniat, & in quibus ponenda, nempe antè omnia utique, in *exonerationibus*, tam juvandis & expediendis, quam *præoccupandis* & *inſtruendis*: & tunc etiam demum, *decurſibus* ſpontaneis, jam quaſi formatorum morborum, cum debita quidem *vigilantia*, ſed tamen etiam cum juſta ſucceſſuum convenientium *exſpectatione*, obſervandis, moderandis, juvandis atque gubernandis.

Quo itaque ita feliciter ad finem perducto, Divinæ benignitati, pro præſtita nobis gratia, devotas grates, & pro præſtanda in perpetuum, indefeſſas preces & æternas laudes, conſecramus.